



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Cap. II. De Hibernia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

At Britannicè *Diuu* Deum, *Vvona* fontem sonat. Huc spe-
stant & maiorum Galliæ Fluminum nomina *Garumna* Fl. rapi-
dus, Britannicè *Garun* rapidus: *Araris* lento, *Arar* lento signi-
ficat: Rhodanus incitatissimus, Britannicè *Rhede* velociter cur-
rere est.

C A P V T II.

De Hibernia.

I N ea quinque excutienda sunt.

§. 1. *Nomina Hiberniæ.*

PRIMVM est *Hiera* à voce Hibernicâ *Hiere* quæ Occidentem
significat: alia itaque etymologiæ ridiculæ sunt. Malè ergo
Festus Auienus putans vocem esse Græcam appellauit *Sacram*.

SECVNDVM *Iris* apud Diodorum Sic. & verò nunc ab indige-
nis *Exim* dicitur.

TERTIVM *Ierne* quo Strabo, Claudianus, & alij vtuntur.

QVARTVM *Iuuerna* quod apud Solinum, Melam, & Iuuena-
lem legitur.

QVINTVM *parua* *Britannia*; sic eam nominauit Ptolemæus in Al-
magesto.

SEXTVM denique *Hibernia*, quo Cæsar, Ptolemæus in suâ
Geographiâ, & alij passim vñ.

§. 2. *Quantitas Hiberniæ.*

Ex duplo minor extensio quam Britanniæ à Cæsare tribuitur:
Solinus ait proximare longitudine Britanniæ, *Pomponius* utram-
que parem malè crediderunt.

LONGITVDO apud Plinium ex computo Agrippæ vi. ei P. M.
tribuitur. Ptolemæo 2560. Stadiorum, seu 320. P. Millium: Mar-
tiano Heracleotæ denique 1834. Stadiorum.

LATITVDO Plinio est ccc. M.P. Ptolemæo 2060. Stadiorum,
Heracleotæ 1834.

Y iii

§. 3. Qualitas Hibernia.

FERTILITAS ei denegatur à Pomponio Mela, propter cælum ad maturanda semina iniquum; sed herbarum luxuries tanta trahuntur, ut hic peccora rumpantur nisi prohibeantur pastu: quod æstate tantum contingere, ait Solinus.

PROPRIETAS huius insulæ triplex, 1. Quod hic nullus nascatur anguis. 2. Quod hic aues rarae. 3. Quod in eâ Apis nusquam videatur, imò indidem elatus puluis aut lapilli apes abigant ex alucariis.

§. 4. Mores Hibernorum.

1. Crudeles ab omnibus depinguntur: Gens inhospita, sanguine interemptorum priùs hausto vultus suos oblinxit, *Solinus*.

2. Pugnaces: quare fœmina enixa marem primum cibum infert in os paruuli, mucrone mariti sui, optatque ut inter arma tantum oppetat. Item omnis virorum gloria in armorum nitore. *Idem Solinus*.

3. Turpissimi, ut potè qui palam cum fœminis miscerentur, imò & cum sororibus, & matribus, *Strabo*.

4. Denique impy: Fas & nefas eodem animo ducunt; *Solinus*. Omnia virtutum ignari, & pietatis admodum expertes. *Mela*.

§. 5. Politia Hibernorum.

CREDIDERE aliqui Hiberniam venisse in potestatem Romanorum propter istud Iuuenalis,

—Arma quid

Vltra littore Iuverne promonimus?

Et Panegyristam Constantio dicentem recuperatam ab eo Britanniam, & omnes nationes terminis huius insulæ cohærentes; sed eas nunquam vidisse R.o. probabilius videtur: nam Iuuenalis de Orcadibus loquitur suo tempore domitis; Panegyricus omnia more suo amplificat. Sanè sub Domitiano, Agricola Regem huius insulæ detinuit intentus in occasionem eius regionis inuadendæ. Sub Honorio autem Imperatore occupata fuit à Scotis, quod spectat illud Claudiani,

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.